

quidem excipit Calovius *Colleg. Anticalvin. Disp. 5. §. 69. Quemadmodum non sequitur, per fidem justificamur: E. Justificatio non est gratuita. Siquidem fides hic non opponitur Divinae Gratiae, Sed tantum operibus. Justificamur fide. Rom. 3. 28. Et justificamur gratis per ipsius gratiam. Rom. 3. 24. Quin Et Predestinatio, salvatio, iustificatio ideo sunt ex fide, ut sint secundum gratiam. Rom. 4. v. 4 Et 5. Deinceps fides nostra iustificans non est furtiva aliqua actio, ut id rapiat, quod Deus in verbo suo, unico Et infallibili fidei nostrae fundamento, nobis non offert, neque nobis unquam, conferre vult sed est fiducialis divinae gratiae in Christo, nobis in verbis Et sacramentis divinis serio à Deo oblata Et nisi nos eam repudiemus, collata receptio, quae ab aliis causis Electionis Et justificationis non est divellenda, sed individue cum illis in Electione conjungenda Et c. Resp. (1) συγχωρητικῶς, nos justificari fide & tamen 12. justificationem gratuitam quoque esse, fidemque non divinae gratiae sed operibus in justificationis opere opponi; Idem salvationem & justificationem esse ex fide, simul tamen esse gratuitas. Nec fidem esse furtivam actionem, sed receptionem gratiae in Christo oblatae. (2) ἀρνητικῶς, instantiam huc quadrare & quicquam ad rem responsum esse, cum confundantur ratio propter quam seu causa impulsiva & causa instrumentalis. Exemplum justificationis pro nostrâ sententiâ militat. Quemadmodum enim fides non est causa impulsiva Deumque movens ad nos justificandum, sed est instrumentum, quo nos in tempore justificat. Rom. 3. 24. Ita fides non est causa impulsiva, cur & ob quam Deus nos ab æterno elegerit, sed est instrumentum, per quod nobis in tempore Electionem fructusque eius applicat & confert. Non est causa impulsiva Decreti Electionis, est tamen causa instrumentalis Executionis sive Electionis exequendae. Hoc etiam sensu recte dicitur, fidem non opponi Divinae gratiae. Nam Gratia sola, quae à beneplacito & à benevolo affectu voluntatis Divinae nihil abest, est causa impulsiva Electionis, at fides est instrumentum executionis eiusdem; Alio vero sensu sibi opponuntur. Oppositio enim foret: Nihil in homine futurum, sed solam gratiam*